

Auctore  
**MAURO AGOSTO**

**PRIMA RHETORICES RUDIMENTA**

CUM COMMENTARIO  
in M.T. Ciceronis Orationes  
PRO MARCELLO, PRO ARCHIA, PRO MILONE

**ADSOCIETAS SANCTI MICHAELIS ARCHANGELI**  
OPERAM SOCIAVIT  
**CENTRUM LATINITATIS EUROPAE-CAMPANIA**  
STRONCONII  
MMXI

Edito dall'Associazione San Michele Arcangelo di Stroncone  
Stroncone, 2011

Tutti i diritti di riproduzione sono riservati

ISBN 978-88-97114-02-4

Associazione San Michele Arcangelo

Sede operativa: Via Tintoretto 2 A - 05100 Terni

tel. +39 0744.401145 - +39 347.7949963 - +39 346.0553738 - fax. +39 0744.448176

[www.cantusgregorianus.it](http://www.cantusgregorianus.it) - [editoria.asma@gmail.com](mailto:editoria.asma@gmail.com)

Skype: cantusgregorianus

Critica versatur non modo in verborum integritate,  
sententia, brevitate, pulchritudine iudicanda,  
sed etiam, et prope magis,  
in sententiarum earum iudicio,  
quae non quidem ad aliquam partem  
doctrinae scholasticae referuntur,  
sed ingenium exprimunt  
cum quadam novitate, gravitate,  
cum quodam grato et perspicuo acumine,  
denique etiam cum quadam suavitate.

I. A. Ernesti

PATRI MEO

qui ad litteras colendas saepe me acuit

## PRAEFATIO

Lecturis salutem.

Communis est opinio, nihil esse, in quo taedii plus sit, quam in diligenti praeceptorum, quae a veteribus rhetoribus tradita sunt, tractatione. Ac semper quidem aut plerumque in eiusmodi scriptis versari miserum est - fateor enim - et ineptum. Adde quod, si homines studiis literisque deditos excipias<sup>i</sup>, vulgo nomen rhetoricae non desiit odiosius haberi. Plerique enim, quas apud veteres tantopere laudant veneres et delicias orationis totumque ornatum, easdem aetatis nostrae litteris parum profecto, ne dicam minime convenire arbitrantur, cum potius ipsis eloquentia gravis et sicca et pudica maxime probetur, quae mundum muliebrem universum pedibus trahat. Procul lenocinia et veneres linguarum omnisque fucus ille, qui lucernam olet. Pulchra sint, licet; at nunc non est his locus inter homines, quibus nos quoque credimus (ne cui videamur, spretis recentioribus, veteres tantum evolvendos putare) non esse tonandum vel fulminandum, verum potius amabili simplicitate loquendum, ut eos appareat in omnibus captum et utilitatem vulgi spectare, ut in re publica libera et populari decet. Ceterum, minime dubito, quin rectae artis dicendi aestimationi detrimento fuerit amplissima illa declamatorum turba, qui omni aevo nec frontem nec oculos in ornando habentes, ea scripta prodiderunt, ubi omnia essent operosa et affectata, ubi epitheta conquisita, tornatae periodi, in cursu ipso orationis ita compta cincinnataque omnia, ut prae copia munditiarum dissipata semper mens auditorum non dico argumentis, sed ne ipsis quidem elegantissimis advertendis sufficere posset.<sup>ii</sup> A quorum tamen ratione ita abhorret virilis illa et efficax Marci Tulli facundia, ut illi quasi sua sponte nata videretur esse eloquentia, perinde ac si ne cogitanti quidem ultro se offerret. Quid autem δημοκρατικώτερον quam Demosthenis vel Tulli eloquentia? quibus fuit hoc sollemne, studio verba seligere usitata atque exemplis, similibus, descriptionibus singula explicare, ut quod maxime perspectum vellent, id iisdem aliisve dictionibus repeterent, diducerent, inculcarent, eum melius ceteris dixisse rati, qui planius a quam plurimis faciliusque

---

<sup>i</sup> Inter recentiores, qui rhetorices vim in cultu et humanitate eferunt, hos saltem laudabimus: B. Vickers (ed.), *Rhetoric Revalued. Papers from the International Society for History of Rhetoric*, ed. B. Vickers, Binghampton/New York 1982; E. Grassi, *Potenza dell'immagine: rivalutazione della retorica*, Guerini e associati, Napoli, Medaglioni 21 1989; G. Iannantuono, *Il discorso e la società. La Retorica nel pensiero del Novecento*, Paravia, Torino 1999; E. Raimondi, *La retorica d'oggi*, il Mulino, Bologna 2002.

<sup>ii</sup> Cf. H. Nikitinski, *De eloquentia saec. XVII et XVIII dialogus*, in aedibus Vivarii, Neapoli 2000: 63-66 ac *passim*.

intellectus esset. Propterea, praeiudicatam illam opinionem impetenti, id semper mihi fuit propositum in scholis a me habitis, ut rhetorum studium oratorum lectioni coniungens, discipulis ostenderem, pro virili parte, qui fieret, ut orator argumentum tenue ac simplex tantopere amplificare, exornare atque evehere posset; unde gravitas illa eximia existeret, omnes animi nervos, intendere, attentionem auditoris in re proposita figere potens ita, ut animo attentissimo, vultu, auribus ille haereat in oratore bono eiusque rationibus se persuasum et abreptum sentiat. In hunc autem finem, multo plus operae impendi in enarratione velut fontium harum virtutum: inventionem dico et argumentationem et amplificationem, minus autem in elocutione et doctrina figurarum: ceterum, cum scholas habere soleam non grammaticis, sed iuris peritis<sup>iii</sup>, quibus non solo verborum et figurarum lenocinio, sed vi ac pondere rationum contendendum est, nihil mirum si omnia percurrens, semper tamen digitum in fontem, unde argumenta hausta sint intendam, ut hoc ipsi exemplo sequi discant eandemque pari in re viam terant. Ceterum, mihi Cicero satis in exemplo est, qui in tribus, quos de oratore scripsit, libris figuras praeceps paene evolvens sine definitionibus et sine exemplis effusit satis habens non patefacere, verum tantum commonstrare locos, huius generis ratus esse demonstrationem et doctrinam ipsam volgarem, usum autem gravissimum et in toto dicendi studio difficillimum.<sup>iv</sup> Adde quod orationis ornatum, leporem, dicendi gravitatem

---

<sup>iii</sup> De vinculo inter rhetoricen et iuris prudentiam intercedente, cf.: Th. Viehweg, *Topik und Jurisprudenz*, C. H. Beck, München 1953 (in italicum sermonem vertit: G. Crifò, *Topica e giurisprudenza*, Giuffrè, Milano 1962); Ch. Perelman, *Justice et raison*, Presses Universitaires, Bruxelles 1963; Eiusd., *Il campo dell'argomentazione: nuova retorica e scienze umane*, Pratiche, Parma 1979; Eiusd., *Logica giuridica e nuova retorica*, trad. it. Giuffrè, Milano, 1979 [1976]; G. Gavazzi, "Topica giuridica", in *Novissimo digesto italiano*, vol. XIX, 1973: 409-417; F. Cavalla, "Topica giuridica", in *Enciclopedia del diritto*, Giuffrè, Milano 1992, vol. XLIV: 720-739. H. Prakken, *Logical Tools for Modelling Legal Argument: A Study of Defeasible Reasoning in Law*, Kluwer Academic Publishers, Dordrecht 1997. T. Schirren, G. Ueding (acc.), *Topik und Rhetorik: Ein interdisziplinäres Symposium*, Max Niemeyer, Tübingen 2000 (in hoc opere collectaneo, inter cetera egregia, vide sis saltem: G. Calboli, "Die Topik in Jurisprudenz und Rhetorik", vol. 13: 555-565). Cf. nuperrime etiam: G. Kreuzbauer, "Topics in Contemporary Legal Argumentation: Some Remarks on the Topical Nature of Legal Argumentation in the Continental Law Tradition", in *Informal Logic* 28/1, 2008: 71-85, qui tamen momentum ac velut pondus topicorum apud aetatis nostrae iuris peritos admodum imminuit; huius symbolae vide etiam indicem librorum (82-85).

<sup>iv</sup> Cf. Cic., *De or.* III 53, 202-54, 210. Nostra quoque memoria sunt, qui doctrinam rhetoricam (quam *novam rhetoricam* appellant) adeo sola inventionem et dispositionem contineri contendunt, ut figuras omnino proscribant reiciantque, ut: Ch. Perelman, L. Olbrechts-Tyteca, *Trattato dell'argomentazione. La nuova retorica* (1958), Einaudi, Torino, 1976 (iterum: 1989). Cf. etiam: Ch. Perelman, *Il campo dell'argomentazione:*

Ciceronis sensu magis percipimus, quam regulis demonstramus et viva voce enarrantis oratorem coronae iuvenum audientium plus efficitur ad vim oratoriam ac gravitatem probandam, quam plurimis observationibus ad pulchrum egregiumque provocantibus. Propterea ego quoque consuevi putare neque de verborum figuris magnopere laborandum esse neque sententiarum omnes operose urgeri debere<sup>v</sup>, satis habens, si discipuli has solo, ut ita dicam, nomine ac vultu dignoscant et nobiliores in consuetudinem admittant. Iudicium autem exercitatio acuet et Tulliana lectio limabit. Quam ob rem, omnia, quae velut in tabella ostenderam in priore operis parte, eadem quemadmodum Cicero adhibuerit expedire sum conatus in altera, ubi Tullianas orationes tres ita percurrere volui, ut, qua ratione Cicero per diversa idem ursisset propositum argumenta, et quibus illa fontibus deprompsisset, pro virili parte, monstrarem. Quod autem ad orationes enarrantas pertinet, contentus fui, illas facili expositione decurrere, summam rerum inculcando, nobiliora passim loca, transmissis minus illustribus, imitationi proposita, diligentius resolvendo: noli igitur, benigne lector, commentarium perpetuum expectare. Nam, ut qui in orationibus tantum artificium ostensurus essem, officia enarratoris propemodum haec esse duxi: invenire quaestionem, in quaestionibus definitis post quaestionem invenire statum, invenire quae argumentationes quaestioni et statui adhibeantur, definire propositum cum loco unde ortus sit, definire causam (aetiologiam) cum loco, definire firmamentum cum loco et his similia.

Forsitan quis quaerat, quid dotis ista, qualiscumque est, cura praeter ardentem latinitatis amorem et mediocrem latine scribendi facultatem praeferre possit. Nec derunt mihi, credo, qui dicant, se invenisse, qui sibi curva corrigat! cum frustra et temere etiam post tot literatissimos homines tum veteres tum recentiores, qui de arte dicendi scripserunt, hoc idem opus

---

*nuova retorica e scienze umane*, Pratiche, Parma 1979. De huius auctoris doctrina, cf. Letizia Gianformaggio, *Gli argomenti di Perelman*, Ed. Di Comunità, Milano 1973. M. Maneli, *Perelman's new rhetoric as philosophy and methodology for the next century*, Kluwer, Dordrecht 1994. O. Kramer, "New rhetoric", in G. Ueding (acc.), *Historische Wörterbuch der Rhetorik*, vol. 6, Niemeyer, Tübingen, 2003, pp. 259-288. Ratione prorsus contraria ad solas figuras terminant rhetoricen auctores, qui nomine collectaneo appellari voluerunt: Gruppo  $\mu$ , *Retorica generale. Le figure della comunicazione*, Milano 1976 [1971].

<sup>v</sup> Si tamen vis figuras penitus perspicere, vide sis: M. Agosto, *Impiego e definizione di tropi e schemi retorici nell'Expositio psalmodum di Cassiodoro*, Vivarium Novum, Avellino 2003, cum libris, qui ibi laudantur.

recudendum susceperim. At ego, etsi haec forte cum eximio successu non colo studia vel praeclaro, sed potius mediocri, non tamen odisse illa possum, ut nullas potius occupationes his praeferam omnium. Et quamvis non in eruditissimorum virorum tribum et saeculi nostri Varronum recipi dignus sim, at certe inter eos haberi opto, qui saltem revocare postliminio fugitivas artes et, quamvis diem inferre non possint, tamen vetare barbariei noctem periturasque ab interitu retrahere conabuntur. Equidem pro scopo meo feci, quod potui: secutus sum, quos optimos sequi debebam, ceterum ἐμὲν ὁδὸν βέβηκα, quam lectorum usibus aliquantum profuturam esse opto ac spero.

Vale, optime lector, iterumque vale!

M.A.